



## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 99. Vtrum, & quando martyrium conferat gratiam ex opere operato,  
hoc est supra meritum operantis, & vtrum imprimat characterem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)



de fortitudine, cap. i. Valentia tom. 3. disp. 8. quæst. 2. par. 2. Suarius 3. par. tom. 3. disp. 29. sect. 2. & lib. 12. de gratia cap. 6. num. 21. & plures alij martyrium confert gratiam supra meritum operantis instar sacramenti.

3. Probatur primo. Nam martyrium confert gratiam infantibus instar sacramenti sine ullo merito ipsorum; ergo etiam adultis debet conferre gratiam supra meritum ipsorum.

Confirmatur, nam ex eo, quod adulti propria voluntate moriantur, ac plures actus bonos exerceant, non debet impediri in martyrio vis cauſandi gratiam supra merita, sicut non impeditur in baptismo adultorum.

4. Probatur secundo. Nam ex dictis qu. 98. num. 1. martyrium habet virtutem auferendi omnia peccata quoad pœnam, & culpam; sed hæc ablatio sæpè est supra meritum operantis, vt cum quis alioquin plurimum peccatorum reus in odium fidei occiditur ex improuiso, vel dormiens; ergo martyrium confert etiam gratiam supra meritum operantis proportionaliter, ac baptismus.

5. Quæritur secundo, vtrum martyrium causet gratiam ex opere operato?

Respondeo quæſtionem esse de nomine. Si enim nomine gratiæ cauſatæ ex opere operato intelligatur gratia cauſata supra meritum recipientis, eo ipſo, quod conceditur martyrium cauſare gratiam supra meritum martyris, concedi debet martyrium cauſare gratiam ex opere operato. Si autem nomine gratiæ cauſatæ ex opere operato intelligatur gratia cauſata propter ſanctitatem operis facti à ministro nomine Christi, in hoc ſenſu, in quo sacramenta cauſant gratiam ex opere operato, martyrium non cauſat gratiam ex opere operato, cum minister, hoc est persecutor, qui martyrem occidit, non operetur nomine Christi opus ſanctum, sed vt minister diaboli operetur opus ſummè impium. Vt igitur cautè loquamur, dicere poſſumus martyrium cauſare gratiam quaſi ex opere operato.

6. Quæritur tertio, quandonam martyrium causet gratiam, & remiſſionem peccatorum?

Respondeo, quod Salas 1. 2. tract. 2. disp. 2. num. 14. docet gratiam quaſi ex opere operato, & remiſſionem peccatorum conferri martyri, cum primum anima iam est à corpore ſeparata. Contra hanc opinionem est: nam ſequeretur, quod infantes, qui non baptizati baptismo aquæ martyrio afficiuntur, ac baptizantur baptismo ſanguinis, dum viuunt, non conſequerentur gratiam, & remiſſionem peccati originalis quoad culpam, sed ſolum gratiam, & remiſſionem conſequerentur, cum primo anima est à corpore ſeparata, quod est absurdum. Præterea iuxta regulas ordinarias diuinæ providentiæ nemo conſequitur gratiam, vel eius augmentum, aut remiſſionem peccati mortalis, cum est in ſtatu termini, sed ſolum cum est in ſtatu vitæ; sed anima,

cum primo est ſeparata à corpore, primo est in ſtatu termini, & non est amplius in ſtatu vitæ; ergo anima cum primo est à corpore ſeparata, non conſequitur augmentum gratiæ, neque remiſſionem peccati originalis, quod est mortale.

7. Vega lib. 6. in Trident. cap. 37. & lib. cap. 43. Suarius tom. 3. in 3. par. quæſt. 2. sect. 3. Leſſius lib. 3. de Virtutibus, cap. 5. docent gratiam supra meritum, & remiſſionem peccatorum quoad culpam, & totam pœnam tribui martyri, cum primo est in ſtatu, vt naturaliter non poſſit amplius viuere, sed debeat mori. Contrà hanc opinionem est. Nam martyr gratiam propriam martyrii non recipit, quandiu est indifferens ad hoc vt ſit martyr, vel deſiciat à fide, & damnatur; sed sæpè qui in odium fidei cruciantur, poſtquam reducti ſunt ad ſtatum, vt naturaliter debeant mori, viuunt pluribus horis, ac diebus, ac per aliquod tempus remanent indifferentes ad hoc, vt perſeuerent, vel deſiciant à fide, & damnentur; ergo. Minor probari poſſet pluribus exemplis, ac præterea illius ex quadraginta martyribus ſebaſtiano qui cum diu toleraſſet glaciem, deſecit à fide, & dum ingrederetur in balneum calidum, vt fidem negaret, mortuus est, & amiſit palmam martyrii, ac proinde cum deſecit à fide, iam erat in ſtatu, vt naturaliter non poſſet viuere.

8. Alij dicunt gratiam supra meritum, & remiſſionem peccatorum quoad pœnam, & culpam conferri, cum vi tormentorum martyr non habet amplius vſum libertatis, ac proinde non poſſet amplius peccare. Sed contra est. Nam plures martyres retinent vſum rationis, & libertatis vſque ad vltimum inſtans vel momentum vitæ; ergo de his remanet difficultas.

9. Dicendum ergo gratiam supra meritum martyri conferri in eo inſtanti, ſeu momento, poſt quod martyr naturaliter non poſſet amplius viuere. Eo enim ipſo perſeuerauit vſque ad finem, ac proinde accipit gratiam promiſſam perſeuerantiæ, accepturam coronam gloriæ, cum primum anima fuerit ſeparata à corpore.

10. Dices. Quid ſi martyri miraculoſè conſeruetur vita poſt illud inſtans, vel momentum?

Reſpondeo probabile eſſe, quod tunc confirmaretur in gratia. Ratio eſt, quia vt miraculoſè conſeruata martyri, non debet illum exponere periculo amittendi coronam perſeuerantiæ, quam iam meritus fuerat, perſeuerando vſque ad momentum, poſt quod naturaliter debuiffet mori.

11. Quæritur quarto, vtrum martyrium ſeu baptiſmus ſanguinis cauſet gratiam maiorem ea, quam cauſat baptiſmus aquæ?

Reſpondeo affirmatiuè, ac dico martyrium infantibus conferre maiorem gratiam, quam conferat baptiſmus aquæ. Probatur nam

nam ecclesia innocentibus in odium Christi occisis ab Herode tribuit cultum, infantibus autem baptizatis, & mortuis ante usum rationis non tribuit cultum; sed non esset ratio, cur tribueret cultum innocentibus, alijstque infantibus occisis in odium fidei, ac non tribueret cultum infantibus baptizatis mortuis ante usum rationis, si martyrium non tribueret altiore gradum gratiæ, & gloriæ, quam baptismus aquæ; ergo. Hinc sequitur martyrium etiam adultis, posita æquali dispositione, tribuere maiorem gratiam, quam baptismus aquæ, & cætera sacramenta, ac posita maiori dispositione, tribuere maiorem gratiam, non solum ex opere operantis, sed quasi ex opere operato, quam posita minori dispositione. Mensuram autem gratiæ, quam martyrium tribuit, nos definire non possumus, Deus scit, ac definit, qui martyres coronat. S. Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 45. agens de fructu quinquageno, sexageno, atque centeno, quibus gradibus Christus Matth. 13. gratiæ, ac gloriæ gradus distinxit, centenum, hoc est summum gratiæ fructum martyribus, à quibusdam anterioribus tractatoribus adscriptum fuisse docet; & in Psalmum 67. ad illa verba *Principes Iudæ*, dicit. *Martyres namque in ecclesia summum locum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt.* S. Cyprianus in Præfat. ad librum de exhortatione martyrij dicit. *Nos, qui Domino permittente, primum baptismum credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus, insinuantes, & docentes hoc esse baptismum in gratia maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius.*

12. Quæritur quinto, utrum martyrium cum gerit vicem baptismi aquæ, imprimat characterem?

Respondeo Aureolum in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 1. docuisse martyrium imprimere characterem hominibus non baptizatis baptismum aquæ. Reijcitur communiter hæc opinio. Etenim debet imprimere characterem, quatenus dicitur, & est baptismus sanguinis; sed contritio perfecta, cum iustificat non baptizatum, dicitur baptismus fluminis, & tamen non imprimat characterem; ergo neque martyrium. Ideo Sotus lib. 2. de natura, & gratia, cap. 16. docet, quod si martyr non baptizatus miraculosè reuocaretur ad vitam, deberet baptizari baptismum aquæ; si autem per martyrium iam accepisset characterem baptismi, baptizari non deberet.

QVÆSTIO C.

De gloria tum essentiali, tum accidentali, quam martyres in celo potiuntur, & de aureola.

1. Gloria essentialis consistit in essentiali beatitudine, hoc est in visione beati  
Tom. III.

tifica, & amore ex visione consequente; & quia visio, & amor correspondent gratiæ, ideò martyres in celo consequuntur beatitudinem, ac gloriam essentialem æqualem gratiæ, quam dum viuerent, acceperunt, tum ex opere operantis, tum ex quasi opere operato, ac supra merita. Sicut autem martyres in via accipiunt maximam gratiam, ut dictum est quæst. 99. num. 11. sic in patria accipiunt maximam gloriam essentialem. In gloria essentiali consistit corona vitæ, ac corona aurea, qua sancti, ac præsertim martyres à Deo coronari sacra Scriptura testatur; ut cum Apocalypsis 2. 10. dicitur: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*; Apocal. 4. In capitibus eorum coronæ aureæ.

2. Ultrà gloriam essentialem, quæ vocatur corona aurea, & ultrà accidentalem transeuntem, ut cum gaudium erit coram Angelis Dei, ut dicitur Luc. 15. datur etiam martyri gloria aliqua accidentalis permanens, quæ vocatur aureola. Triplex est aureola, martyrum, virginum, & doctorum, quorum primi triumpharunt de hostibus fidei, secundi de carne, tertij de errore, & ignorantia. Aureola videtur consistere tum in excellentia quadam morali, tum in quodam ornatu physico animæ, qui sit proportionalis characteri impresso à quibusdam sacramentis. Accipiunt etiam martyres specialem quamdam gloriam corporis, præsertim in partibus, in quibus passi sunt. De his corporis ornamentis loquuntur plures Patres, præsertim Augustinus, & Chrysostomus. Augustinus enim serm. 103. de diuersis cap. 5. dicit: *Ipsa corpora martyrum, in quibus indigna tormenta passi sunt, eis in digna ornamenta vertentur*; & serm. 116. in fine: *Corpora ipsa sua habebunt magna ornamenta, in quibus passi sunt magna tormenta.* Chrysostomus homilia de natiuitate Machabæorum: *Sicut corona regalis vndique decorata fulgore varios emittit, ita sanctorum martyrum corpora, sicut preciosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omni regum diademate pretiosiora, & spectabiliora redduntur.* Videri potest Theophilus Raynaudus tomo 18. lib. de martyrio per pestem, par. 2. de martyrio præcisè dicto, ex quo auctore plura desumpsi.

TRACTATVS XIII.

De ministro, susceptore, necessitate, & obligatione baptismi.

QVÆSTIO CI.

Quisnam sit minister, qui ex officio debet baptizare?

S. Th. quæst. 67. art. 1. & 2.

1. CVM egerimus de essentia, & institutione baptismi, de eius materia, & forma, C c ac

de fortitudine, cap. i. Valentia tom. 3. disp. 8. quæst. 2. par. 2. Suarius 3. par. tom. 3. disp. 29. sect. 2. & lib. 12. de gratia cap. 6. num. 21. & plures alij martyrium confert gratiam supra meritum operantis instar sacramenti.

3. Probatur primo. Nam martyrium confert gratiam infantibus instar sacramenti sine ullo merito ipsorum; ergo etiam adultis debet conferre gratiam supra meritum ipsorum.

Confirmatur, nam ex eo, quod adulti propria voluntate moriantur, ac plures actus bonos exerceant, non debet impediri in martyrio vis cauſandi gratiam supra merita, sicut non impeditur in baptismo adultorum.

4. Probatur secundo. Nam ex dictis qu. 98. num. 1. martyrium habet virtutem auferendi omnia peccata quoad pœnam, & culpam; sed hæc ablatio sæpè est supra meritum operantis, vt cum quis alioquin plurimum peccatorum reus in odium fidei occiditur ex improuiso, vel dormiens; ergo martyrium confert etiam gratiam supra meritum operantis proportionaliter, ac baptismus.

5. Quæritur secundo, vtrum martyrium causet gratiam ex opere operato?

Respondeo quæſtionem esse de nomine. Si enim nomine gratiæ cauſatæ ex opere operato intelligatur gratia cauſata supra meritum recipientis, eo ipſo, quod conceditur martyrium cauſare gratiam supra meritum martyris, concedi debet martyrium cauſare gratiam ex opere operato. Si autem nomine gratiæ cauſatæ ex opere operato intelligatur gratia cauſata propter ſanctitatem operis facti à ministro nomine Christi, in hoc ſenſu, in quo sacramenta cauſant gratiam ex opere operato, martyrium non cauſat gratiam ex opere operato, cum minister, hoc est persecutor, qui martyrem occidit, non operetur nomine Christi opus ſanctum, sed vt minister diaboli operetur opus ſummè impium. Vt igitur cautè loquamur, dicere poſſumus martyrium cauſare gratiam quaſi ex opere operato.

6. Quæritur tertio, quandonam martyrium causet gratiam, & remiſſionem peccatorum?

Respondeo, quod Salas 1. 2. tract. 2. disp. 2. num. 14. docet gratiam quaſi ex opere operato, & remiſſionem peccatorum conferri martyri, cum primum anima iam est à corpore ſeparata. Contra hanc opinionem eſt: nam ſequeretur, quod infantes, qui non baptizati baptismo aquæ martyrio afficiuntur, ac baptizantur baptismo ſanguinis, dum viuunt, non conſequerentur gratiam, & remiſſionem peccati originalis quoad culpam, ſed ſolum gratiam, & remiſſionem conſequerentur, cum primo anima eſt à corpore ſeparata, quod eſt absurdum. Præterea iuxta regulas ordinarias diuinæ providentiæ nemo conſequitur gratiam, vel eius augmentum, aut remiſſionem peccati mortalis, cum eſt in ſtatu termini, ſed ſolum cum eſt in ſtatu vitæ; ſed anima,

cum primo eſt ſeparata à corpore, primo eſt in ſtatu termini, & non eſt amplius in ſtatu vitæ; ergo anima cum primo eſt à corpore ſeparata, non conſequitur augmentum gratiæ, neque remiſſionem peccati originalis, quod eſt mortale.

7. Vega lib. 6. in Trident. cap. 37. & lib. cap. 43. Suarius tom. 3. in 3. par. quæſt. 2. ſect. 3. Leſſius lib. 3. de Virtutibus, cap. 5. docent gratiam supra meritum, & remiſſionem peccatorum quoad culpam, & totam pœnam tribui martyri, cum primo eſt in ſtatu, vt naturaliter non poſſit amplius viuere, ſed debeat mori. Contra hanc opinionem eſt. Nam martyr gratiam propriam martyrii non recipit, quando eſt indiſſerens ad hoc vt ſit martyr, vel deſiciat à fide, & damnatur; ſed sæpè qui in odium fidei cruciantur, poſtquam reducti ſunt ad ſtatum, vt naturaliter debeant mori, viuunt pluribus horis, ac diebus, ac per aliquod tempus remanent indiſſerentes ad hoc, vt perſeuerent, vel deſiciant à fide, & damnentur; ergo. Minor probari poſſet pluribus exemplis, ac præterea illius ex quadraginta martyribus ſebaſtiano qui cum diu toleraſſet glaciem, deſecit à fide, & dum ingrederetur in balneum calidum, vt fidem negaret, mortuus eſt, & amiſit palmam martyrii, ac proinde cum deſecit à fide, iam erat in ſtatu, vt naturaliter non poſſet viuere.

8. Alij dicunt gratiam supra meritum, & remiſſionem peccatorum quoad pœnam, & culpam conferri, cum vi tormentorum martyr non habet amplius vſum libertatis, ac proinde non poſſet amplius peccare. Sed contra eſt. Nam plures martyres retinent vſum rationis, & libertatis vſque ad vltimum inſtans vel momentum vitæ; ergo de his remanet diſſicultas.

9. Dicendum ergo gratiam supra meritum martyri conferri in eo inſtanti, ſeu momento, poſt quod martyr naturaliter non poſſet amplius viuere. Eo enim ipſo perſeuerauit vſque ad finem, ac proinde accipit gratiam promiſſam perſeuerantiæ, accepturæ coronam gloriæ, cum primum anima fuerit ſeparata à corpore.

10. Dices. Quid ſi martyri miraculoſè conſeruetur vita poſt illud inſtans, vel momentum?

Reſpondeo probabile eſſe, quod tunc confirmaretur in gratia. Ratio eſt, quia vt miraculoſè conſeruata martyri, non debet illum exponere periculo amittendi coronam perſeuerantiæ, quam iam meritus fuerat, perſeuerando vſque ad momentum, poſt quod naturaliter debuiffet mori.

11. Quæritur quarto, vtrum martyrium ſeu baptiſmus ſanguinis causet gratiam maiorem ea, quam cauſat baptiſmus aquæ?

Reſpondeo affirmatiuè, ac dico martyrium infantibus conferre maiorem gratiam, quam conferat baptiſmus aquæ. Probatur nam